R. A. 22. Iunij 1638

VOTA, ET MOTIVA
IN PROCESSV
FRANCISCI ALCAÑIZ,
SVPER APPREHENSIONE.
In art. Iuris firmarum.

IN DEI NOMINE AMEN. Nouerint vniuerſi quod anno à Natiuitate Domini noſtri IeſuChriſti milleſimo ſexcenteſsimo trigeſimo octauo, die verò quæ computabatur vigeſimo ſecundo menſis Iunij, apud Ciuitatem Cæſarauguſtæ Regni Aragonum, & in Camara Regij Conſilij Ciuilis eiuſdem Regni, interuenerunt, & fuerunt præſentes Magnifici domini Vincentius Ortigas, Ordinarius Aſſeſſor, Michael Thoma Secanilla, D. Hyacinthus Balonga, Don Michael Marta, & Don Didacus Amigo, Regij Conſiliarij, corã quibus fuit poſitus proceſſus intitulatus Frãciſci Alcañiz, ſuper apprehenſione in articulo Iuris firmarum, in quo omnes dicti quinque Magnifici domini, de dicto Regio Conſilio concordes fuerunt, voti, & opinionis quod attent. content. in dicto proceſſu tenetur, & debet pronuntiare, & recipere propoſitionem Iuris firmæ, Admodum Reuerendi Domini Ioannis de Guzman Archiepiſcopi Cæſarauguſtani, principalis Petri Murillo Procuratoris, in cuius locum fuit, & eſt repoſitus: Admodum Reuerẽdus Don Petrus Apaolaza Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus, principalis Petri Ioſephi los Baios, Procuratoris, præſtita prius cautione idonea, alijs propoſitionibus

35
BIBLIO... SEVILLA

repulsis neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere. IDEO pronuntiandũ est, pro vt in sententia, quia de legitima possessione excedenti quadraginta annos, & supra ad fauorem dignitatis Archiepiscopalis, & admodum Reuerendorum Archiepiscoporum ad obtinendum in hoc Iuris firmarum articulo externo, satis constat: in iudicijs autem possessorijs quale hoc de quo agitur regulariter is obtinet, qui melius possessionem, seu quasi probat. Planè indubium est Archiepiscopum in probatione illius preferre: nam, vt diximus, per quadraginta annos, & suprà percipiendi quartum vndenæ possessionem, seu quasi, docet vsque ad postremam illam, & vnicam tantùm quarteationem, quæ ad fauorẽ Decani sex diebus ante oblatam appellitus Apprehensionis facta fuit, die vndecima mensis Maij anno millesimo sexcẽtesimo trigesimo secundo, in vim Iuris firmæ, cui Quartarius paruit cum protestatione, quod nullum ex ea Archiepiscopis Sedi, eo tunc vacanti, & alijs quorum interesse poterat, præiudicium irrogaretur; vnde ni fallimur, nemo negare tentauit, agnoscent omnes meliorem in hoc plenario possessorio esse Archiepiscopi, quam Decani probationem; non obstat, quod ex aduerso contenditur fructuum vndenam præcipuam ad fauorem Decani extrahendam esse pro expensis in eorum collectione factis; & ideo non potuisse per vsum induci, quod fructus ferat Archiepiscopus, & in expensis non contribuat, quod non obscurè indicat constitutio Synodalis, sub titulo de *Officio Quartarij*, qui sic se habet: *Ad tollenda grauamina, quæ per Quartarios nostros, siue Baiulos, in præiudicium illorum quorum decimæ est perceptio plerumque attentantur statuimus, antiquam constitutionem renouantes, quod vndena Collectoris, tam vini, quam tritici, & rei alterius cuiuscumque nullo modo quartentur, sed integrè per totam nostrã Diœcesim apud eos qui decimarum Collectorem ponere consueuerunt, sine aliqua diminutione, præterquam in locis, in*

qui-

quibus est consuetum dictam portionem dare Clauigeris pro laboribus dictæ Collectæ remaneant, & quod dicti Quartarij Archidiaconorum, & Archipresbyterorum ministri, aliqua salaria diebus Dominicis, & Festiuis colendis, aut alijs recipere, & leuare non possint, nisi solum, & dumtaxat illis; quibus in mensurationibus horreorum vacauerint, eo tunc, nisi sex almuta annonæ æquis partibus per eos, quorum granaria fuerint mensurata persoluenda, pro cuiuslibet eorum euectione leuare non possint: & si contra præmissa, vel eorum aliquid, quemquam grauare præsumpserint, excommunicationis censuram incurrant ipso facto, contraria quamcunque consuetudine non obstante à qua ante satisfactionem illis, quorum interest factam cum effectu, nequeant liberari, & censuræ siquæ occasione præmissorum per dictos Quartarios fuerint fulminatæ, nullius sint momẽti. Nã respondetur primò, hac constitutione non comprehendi Archiepiscopũ, quippè excommunicationis censura, quam contrafaciẽtibus imponit, non potest Archiepiscopum proferentem comprehendere, cum idem in se ipsum, nec excommunicationis, nec alterum imperij, seu iurisdictionis actũ exercere possit: non enim quisquam sibi ipsi superior est; præterea totus constitutionis thenor ad grauamina terminatur, quæ per Quartarios tentabantur proprium sibi questum curantes; vnde licet ab eorũ grauaminibus integrã vndenam extrahi, &sine diminutione aliqua apud eos, qui decimarum Collectorem ponere consueuerunt, manere voluerit pro dictæ Collectæ laboribus: non tamẽ erit trahenda ad Archiepiscopum, de quo non loquitur. Respondetur secundò, totam hanc decimarum materiam, quo ad quotam magis ex vsu, quam alio iure regulari solitam, nõ tantùm inter soluentes, & eos quibus soluuntur: verùm etiam inter quos distribui solent: vnde sicut ex vsu induci potest, vt non decima, sed quinta decima amplior, aut mi-

nor

nor summa fructuum pro decima soluatur; sic distributio fructuum inter eos, quibus competunt potest per vsum induci, quod hoc, vel illo modo fiat, licet alioquin primo aspectu consuetus modus durus videatur, si igitur hæc ita de iure procedunt; non ab re opinamur induci potuisse, quod sicut quota decimarum, & modus distributionis earum ex vsu legem accipit, idem etiam in vndena Collectoris procedat, siue diminuta à principio taxatione, siue ita facta, vt Illustrissimus Archiepiscopus concurreret, siue quia tractu temporis in valescente vsu litigantium prædecessoribus vita, fuerit vndena, sic distributa sufficiens ad collectionis fuctuum expensas, ex quibus infertur per hũc vndenam diuidendi modum in nihilo detrahi iuri naturali, diuino, & humano, cum etiam detracta vndenæ quarta, laboris iustas expensas Collector ferat. Respondetur tertiò, in quarta decimarum Archiepiscopum habere de iure fundatam intentionem, & tamen in tribus Decani partibus nullus concurrit. Ex quarta verò Archiepiscopali Archidiaconus Darocensis, seu mensa Capitularis quartam partem capit, & ex quartæ reliquo vndecima asignatur Archipresbytero Cæsaraugustano: sicut igitur quarta hęc Archiepiscopalis ex aliorum concursu diminuitur sic, & vndena Collectoris diminui potuit, & forte hoc Archiepiscopis profuit, & in causa fuit, vt quod ex concursu Archidiaconi, seu mensæ Capitularis, & Archipresbyteri adimebatur. Id aliquantulum refunderetur illis ex concursu cum Decano ad vndenam Collectoris. Quarto respondetur, notissimum esse operarum decimas olim præstari solitas, quas tamen fere communiter vsus abstulit forsam, etiã ex hoc capite vndenæ particeps sit Archiepiscopus, vt sic Parochus aliquid ex portione pro operis collectionis deputata solueret: redacta quantitate ad quartam vndenæ in vim vsus, qui alioquin omnẽ pro operis decimarum præstationem aboleuit. Respondetur quintò, sic considerandum esse Parrochum respectu Archiepiscopi sicut Parochianos respectu Parochi: IGITVR sicut hi cultu

ræ expensas non detrahunt à fructibus, sed omnium omni remota deductione decimam præstant, sic nec ille expensas detrahet à quarta decimarum iam collectarum, quam Archiepiscopus capit. Adde his portionem inscriptam *mensuri* ante collectionis expẽsas, & ab his liberã extrahi, & tamen non mensori, sed mẽsæ Capitulari assignatur igitur quartum vndenæ Collectoris potuit non Collectori, sed Archiepiscopo tribui: vt sic non ex portionis nomine, sed ex rei quæ geritur veritate negotium dirimatur, quapropter verissimum putamus commune illud placitũ, quo docemur: quoad decimas, & modum earum in solutione, distributione, & expensis validissimum esse vsum, & qui maximè sit attẽdendus, si vere quæstiones in hac materia occurrentes iustè iudicare vellimus, ommissa scrupulossa indagatione. Vnde origenem sumpserit: nam quæ nunc forte non occurrit ratio in principio nota fuit, & sane nec Archiepiscoporum quemquam tam cupidum, nec Decanorum tam supinum, aut proprij questus oblitũ censemus, vt inueteratam sic rem admiserint, nisi ab origine id ita de iure procedere, & crederent, & scirent, in hac igitur materia præ cæteris longo vsui standum erit: hæc cum ita se habeant penitus euellunt vnicum in cõstitutione Synodali firmissimum, vt Decanus opinabatur præsidium: cæterum sine præmisorum, quæ vera sunt præiudicio agnoscamus constitutionis valorem, & saltem vi directiua Archiepiscopum comprehendi: adhuc nec illi nocebit, nec Decano proderit: Nam inter cæteros modos quibus lex Ecclesiastica solet abrogari, neminem latet computari vsum Superioris contrarium legi: Itaque si Pontifex post legem promulgatam, contrarium huic vsum amplectatur indubie abrogata lex dicetur, & si vsus ille non sit legitime præscriptus: Ratio est, quia tota vis legis ex volũtate Legislatoris pendet, quæ satis cessare probatur ex contrario illi vsu: sic res, proportione seruata, se habet in præsenti: Archiepiscopus Superior est Synodo, in Synodalibus constitutionibus dispensare potest, pendentque ex il

lius authoritate,& voluntate: quamobrem cum ijdem Archiepiſcopi contrarium conſtitutioni Synodali vſum frequentibus,& continuis actibus amplexi fuerint conſequẽter dicendum eſt illam quo ad hanc partem abrogatam eſſe in locis,quibus contrarius illi vſus viget, vt in villa de Cariñena,de cuius decimis contenditur: nec eſt nouũ, nec inconueniens,quod licet Synodalis hæc conſtitutio pro tota Diœceſi inducta fuerit: In quibuſdam territorij locis vires habeat,in alijs verò contrario illi vſu derogetur: quod ſicut in legibus pro tota Eccleſia promulgatis, receptiſsimum eſt, & practicatur: idem in Synodali dicendum eſt, maximè accedente ſuperioris voluntate, quo caſu derogatio,ſeu abrogatio procedit, etiam ſi vſus non ſit præſcriptus, & careret ratione: Dummodo nihil turpe contineret. Quorum neutrum in præſente procedit, tam ex longa temporis duratione, quam alijs ſupra conſideratis. Vnde iuſtè vndenæ quartam Archiepiſcopo competere poſſe diximus. Non obſtante altera dictæ Synodalis ponderatio,quod nempe, & præteritam, & futuram illi contrariam conſuetudinem, vt irrationabilem improbet, quod indicare videntur illa verba: *Ad tollenda grauamina plerumq; attentantur: Quemquã grauare præſumpſerint:* Et ideo irritans illam, vt irrationabilem: in nihilo proſit Archiepiſcopo: Nam reſpondetur,quod ſi cõſtitutio, nec Archiepiſcopum comprehendit, & vbi comprehenderet ſublata eſt: nihil vltro agendum eſt de illa, perinde ac ſi edita non eſſet, nam quoad iuris effectum nihil intereſt, quod vel non fiat lex: facta pereat,vel manens, non comprehendat illum de quo obligando tractatur. Reſpondetur ſecundo,ſuppoſitũ non eſſe ſatis tutum, nam grauamina talia eſſe potuerunt,non quia mala,ſed quia prohibita: ſicut euenit in ijs qui certam laboris mercedem,& taxam excedunt: qui re vera grauamen inducunt, nõ quia malũ potuit enim maior eis deberi; ſed quia prohibitũ,& hoc niſi fallimur reſpicit Synodalis in verſi. *& quod dicti Quartarij,* & melius explicat antiqua altera Synodalis conſtitutio,

sub

ſub titulo de Decimis incipiens. Verum ad quam hæc refertur: dum ita ſtatuimus antiquam Conſtitutionem renouantes: antiqua vero ſic diſponit: *Verum, quia de toto acerbo vndena Collectoris videlicet vna vndena* de acerbo panis, & duæ vndenæ de Collecta vini, ante quartationem extrahuntur, & in nonnullis Eccleſijs noſtræ Diœceſis Quartarij, Cuſtodes, ſeu Clauigerij, per nos temporibus collectionis fructuũ ibidem, vſque ad tempora quartationum finita, deputantur quibus non eſt certa taxata prouiſio dicti Cuſtodes, vel Clauigeri, Rectoribus, & illis ad quos Decimarũ ſpectat perceptio, & eorum Eccleſijs oneroſi exiſtant, ſtatuimus, & volumus, quod tribus partibus dictarum vndenarum à Rectoribus, & illis quorum intereſt pro expenſis, & labore Collectæ retentis prædicti Cuſtodes, vel Clauigeri quartam partem dictarum vndenarum Collectoris temporibus quartationis recipiant; de qua quarta parte ſibi ipſis teneantur in ſuis neceſsitatibus prouidere, nec aliam prouiſionem, vel penſionem ampliorem dicti percipientes Decimas tribuere teneantur eiſdem: In locis vero, & Eccleſijs, vbi prædictis Clauigeris, & Cuſtodibus ab antiquo eſt ſolita dari. Certa prouiſio illam non intendimus immutare, eo caſu tota vndena cedat parti Eccleſiæ, & Rectoribus; ex quarum conſtitutionum Collectione palam deprehenditur grauamina, de quibus in poſteriori fit mentio, inferri ſolita à Quartarijs, Cuſtodibus, & Clauigeris qui ante quartationem, & illius finitæ tempora deputabantur, & portione illis deſignata non contenti Rectoribus, & his, ad quos Decimę expectabant moleſti erãt: igitur grauamina erant, quia prohibita: cæterum dato, quod ſuppoſitum ſit verum, & conſuetudo ſubſequens, vt irrationabilis damnaretur, hæc tantum procederet in his, qui ſolita mercede non cõtenti ampliorem moleſtijs adhibitis eruſcarent: Quorum cupiditatem reprimere voluit conſtitutio: Et vbi in Archiepiſcopo admitteretur. Adhuc illi non obſtaret: nam præualuit opinio exiſtimantiũ leges etiam *irritantes, vt improbam* conſuetudinem per hanc

legi-

legitimè præſcriptam tolli poſſe: nam lex irritans poteſt eſſe abrogabilis, aliqua ratione honeſta, & ſępè abrogatur: igitur eadem ratione conſuetudo contra legem irritantem illam poterit eſſe rationabilis,& efficax,cum huius non minor quam legis ſit authoritas: Præterea conſue tudo vim habet in ducendi legem irritantem; ergo poterit eam abrogare cum eadem ſit ratio, & per vtramque ſuperioris indicetur voluntas,cum igitur in præſenti tot propoſuerimus cauſas vnde iuſte quartam vndenæ Collectoris Archiepiſcopi capiāt, ſitque tam expreſſus eorum conſenſus,dubitandum non eſt de conſtitutionis abroga tione quo ad hanc partem: Ommittimus an vſu ſit recepta,vel non,& pleraque alia quæ de vi conſuetudinis reuocatæ,prohibitæ,reprobatæ,aut cui ius reſiſtit ſparſim in iure docentur,& occurrebant,placuit tamen non deferre & manum reprimere: Non obſtat alterum Decani fundamentum,quod ex ſententia lata in proceſſu litis pendētis cuius præſens eſt externus naſcitur: Nam reſpōdetur pro poſitionum offerendarum tempore Sedem Archiepiſcopalem vacaſſe,& quamuis de iure in nihilo ſententia ſic la ta noceret tamen iuxta forales diſpoſitiones præiudicium attulit, quoad illum articulū,quod in minoribus quatuor decim annis,& abſentibus legitime admiſſum etiam fuit; propter magnam apprehēſionis authoritatē; cæterū Prælatus poſt aſſumptus minor, & abſens reuerſus in articulo firmarum litigare,& obtinere poterunt, ſi de tempore ap prehenſionis melius eorum poſſeſsio,ſeu quaſi, probetur, quod in concuſſa praxis ita approbauit, vt nullatenus ſit ab ea recedendum: Adde quod vulgo tractatur differentia proceſſus externi à ciſterno,tam reſpectu fructuū priuilegij executionis,quam competentiæ iudicis,qui decre tum apprehenſionis interpoſuit, & tamen hæ quæſtiones inutiles forent,ſi omninò in litiſpendentis iudicio non cō parens obtinere,non poſſet in articulo firmarum externo, quod ſanè abſurdum eſſet; ne igitur hoc ſequatur, dicendum eſt non comparentem in iudicio litiſpendentis rectè

agere

agere posse, & obtinere in articulo externo firmarũ, nec satisfaciet qui dixerit eum, qui non comparuit, nec cedulam reseruæ obtulit, & si agere posit in articulo firmarũ non tamen vincere: Nam respondetur hoc valdè à iure alienum esse, vt quid enim permitteretur litigare, qui obtinere non posset? verè hoc fraudulentum esset, & irrisione dignum, quod de iure non est admittendum. Præterea decretum apprehensionis concipitur, saluo iure partium super possessione, & proprietate, iudexq; in vim illius, nõ tantum in litispendentis, sed & firmarum articulo fit cõpetens, siue sit cisternus, siue externus; vt sępè Senatus cẽsuit igitur tantum abest alicui, quidquam adimi, quod imò omnium comparentium, & non comparentium, & maximè eorum qui comparere non potuerunt, qualis erat Sedis Archiepiscopalis vacans, saluum sit, ius non tantum in iudicio litispendentis, de quo nemo dubitat: verum, & in articulis firmarum externo, & cisterno decretum enim indiuisibile est in hac parte; & ad omnes articulos competens fit iudex: ergo in omnibus consulit partibus ne alioquin, quæ sub vnico indiuiduo decreto continetur diuerso iure censeantur. Non obstat, quod si in vtroq; articulo saluum esset ius: æqualiter id procederet, quod tamen falsum est ex differentia cisterni, ab externo processu cuius supra meminimus: Nam respondetur iura vigilantibus pingius subuenire, atq; ita iuxta foros, & praxim eorum maiori fauore dignus est, qui ad iudicium venit, quam qui illud neglexit, quapropter inductum est, & merito vt Cõmissarius Curiæ quoad non colitigantes fructus irreuocabiliter percipiat, quos comparentibus, si in altero articulo illum superauerint restituere cogitur; vnde etiam euenit, quod præscriptio Commissarijs Curiæ quoad colitigantes prohibita, quoad cæteros permissa est: Non obstat quod cum Decanus Iudicis, decreto in possessionem immisus sit, eo ipso alijs prohibita censeatur, cum duo eãdem rem posidere non posint: Nam præter supra tradita, quæ dubium hoc satis tollunt, respondetur primò, de-

cretum hoc interpositum fuisse, non quia (Decani possessio, seu quasi probaretur, sed quia sententiam, ita ferri litigantibus placuit, vnde in vim illius non potest dici iustificata possessio, quæ non præcesserat, sed inducta fuit noua quædam insistentia, quæ & si iuxta foralem praxim ad fructuum perceptionem, & præscribendi facultatem prosit; leuis tamen est ad obtinendum in plenario possessorio cōtra illum, qui apprehensionis tempore, & multo ante pacificam possessionem, & iustam probat. Respondetur secūdò, in interdicto retinendæ cui similis est firmarum articulus receptum esse duos eandem rē posidere posse, quorum si æqualis sit probatio, obtinebit vterque, si vero vnus alterum supperet, hic solum vincet, & ideo non incommode dici poterit duos possessores inueniri, si affectum eorum *intueamur*, & animum per quem retinetur possessio; cum igitur, vt supradiximus, melior sit Archiepiscopi probatio ad eius fauorem meritò fertur sententia: non obstat quod causa, hæc in vim tituli iudicanda videatur, & nullius adsit penes Archiepiscopos, qui tamen ex Synodali competit Decano: Nam respondetur ex supraditis satis huic difficultati occurri; adde illis quod ad Decanum attinet propositionem quam obtulit admitti non posse; quia de tempore apprehensionis, nec propriam, nec prædecessoris indignitate possessionem probat: est autem notum neminem in Iudicijs possessorijs, etiam Decimarum obtinere posse, qui vel ipse propriam, vel indignitate prædecessoris possessionem, seu quasi de tempore apprehensionis, & litis motæ non docuerit; vnde quamuis sine veri, & eorumq; de Synodali diximus præiudicio titulus Decano competeret, non sufficeret, nam in eis iudicijs titulum incidenter, & ad extra inspicimus, vt bene de possessione iudicemus hac semper in litigante, aut prædecessore indignitate, aut beneficio supposita, vt fundamēto sine quo, & ad obtinendum præcise necessario; quo vero ad Archiepiscopum respondetur verè titulum illi competere, nam eoipso quod Archiepiscopus est, fundatam habet in tota

Dię-

Diœcesi intentionem quoad Decimarum quartam, quod vero percipiat illam ante, seu præpostere ad collectionis expensas declarauit distribuendi praxis, & vsus, cui standum est, & qui in hac materia validissimum omnium ad veritatis indaginem, & rectam iustitiæ distributionem argumentum est; quibus adde quę latè supra tractauimus de iure percipiendi hanc quartam; deinde responderi potest duos distinguendo casus; primus est vbi de beneficio; secundus vero vbi de eius fructibus disputatur; in primo, de iure, & foro titulus desideratur in summario, vel plenario, possessorio, quia beneficium sine Canonica institutione, obtineri non potest, & ideo intrusus, & vitiosè ingressus manuteneri nequit, qui igitur in hac materia meliori titulo propriam, aut prædecessorijs in beneficio, aut dignitate possessionem fouerit victor erit, & hic propriè est casus Fori, Por quanto 25. de Apprehensionibus, in versiculo, *E queremos*, vsq; in finem propè, & quamuis possessionis non meminerit satis ex eius cõtextura percipitur, vel supponenda est de iure tanquam fundamentum sine quo, & simpliciter necessarium, neq; enim possibile est quemquã sine possessione in iudicijs possessorijs obtinere; igitur siue de iure in causa beneficiali, siue ex iure, & foro vnicũ, hoc & generale possessionis in omnibus causis requisitũ supponendũ est in Foro. *Por quanto*, ne alioquin ius corrigatur, quod possessionem præcisè desiderat in beneficiali, & cæteris omnibus causis. Secundo verò casu (quod attinet ad interdictum retinendæ, cui similis est hic firmarũ articulus) in fructuum beneficiorum, & decimarum causis obtineri potest, sine titulo probata diutina possessione, prout in præsenti, tunc enim cessat ratio vitiosi ingressus, itaque Forus. *Por quanto*, de his causis non loquitur, & ideò in dispositione iuris communis manent, & adsummum procedere poterit, si dicto concursu possessorũ producuntur tituli, tunc meliori initus, & probata possessione obtinebit: vel si ab omnibus probata possessione, vnus titulo eam fouet, alter nõ; præualebit qui titulum produ

duxe-

duxerit, verum nullo producto titulo, qui melius possessionem probauerit vincet; non enim credimus, forum nostrum totam iuris maquinam in causis possessorijs Ecclesiasticis vnico verbo adimere, & corrigere voluisse iura enim voluerũt, in causis decimarum, & similibus possessorijs sola probata diutina possessione, sine titulo obtineri; denique dato cõcursu tituli, sine possessione, prout in Decano res se habet, vel data possessione, sine titulo, vt in Archiepiscopo prætenditur præualebit sanè possessor, casus, namque hic non pertinet ad Forum. *Por quanto*, qui vt diximus, non est ita intelligendus, vt ab eo corrigatur ius, quod sine titulo obtineri posse voluit; non tamen sine possessione, quam præcisè ex necessitate fundamenti postulat, vnde quamuis sine veri præiudicio, nec produceret titulum Archiepiscopalis dignitas, nec quadraginta annorum, & supra possessio, adhuc in vim possessionis diutinæ, vel quasi in iudicio hoc possessorio meliorem Archiepiscopi causam putamus; deniq; vt nihil antiquitatis penitus ignoretur, & gestorum in hac materia historia sit nota placuit constitutiones Synodales referre, quæ rem hanc attingunt authorum nomina, & tempora enarrare; prima ad rẽ occurrit Synodalis Archiepiscopi Petri constitutio, & ita in prima Synodali Congregatione de anno millesimo tercẽtesimo vigesimo octauo, sub titulo, *de Decimis fol. trigesimo quinto, si: ait*: Cum ad solutionẽ quartorum decimæ integrè faciendam de iure Religiosi, Rectores, & Clerici cuiuscunq; conditionis extiterint teneantur nonnulli tamen ad retinendum alienum occasiones fribolas prætendentes, non sine nostri, & Sanctæ Ecclesiæ Cæsaranguستanæ iniuria retinere easdem, & fraudẽ committere non formidant; propter quod decernimus, & mandamus, Priores, Religiosos, Clericos, & Ecclesiarum Rectores, de fructibus possessionum, & animalium nutrimentis, tàm Ecclesiarum, quàm propriarum teneri ad solutionem quartorum integrè faciendam omnium decimarnm, quas ex prædictis possessionibus, seu animaliũ nutrimẽtis perce-

cepe-

ceperint, vel si in eis remanserint recipere potuissent, nisi super his aliquo iure se defenderint speciali, hoc idem de possessionibus luminariorum, confraternitatum, Hospitalium, pontium, operum Ecclesiasticorum, siue fabricarũ, & aliorum similium: statuimus, dicimus, & iubamus obseruandum, quartationem autem omnium prædictorum de toto aceruo, & congregatione animalium, absq; omni deductione, separatione, seu diminutione, apartatione, seu qualibet retentione integre fieri, decernimus, & iubemus inhibendo districtius nequis prædictorum, vel alia quæuis persona cuiuscunq; status, vel cõditionis existat, & cæteri Collectores Decimarum Ecclesiarũ nostræ Diœcesis, de domibus, seu graneris, in quibus Decima congregatur extrahant, leuent, separent, ocultent, alicui vendant, aut alienent quoquo modo, quid de Decima ipsa, tàm bladi, quàm etiam vini, donec de mandato nostro, vel Archipresbyterorum, aut per eius Nuncium fructus Decimæ sint quartati. Contrarium vero facientes, vel fieri mandãtes, aut auctoritatem, seu consilium præstantes in aliquibus, vel aliquo prædictorum pęna centum solidorum nobis applicãdorum, pro qualiuet vice volumus incurrere ipso facto, cum dignum sit illum in proprijs puniri, qui alienũ indebite vsurpauit, & nihilominus ad satisfaciendum de hoc quod de quartis prædictis receperint, seu quocumq; modo retinuerint remaneãt obligati: Idem statuimus sub eadem pęna de his quæ antequam dicta Decima veniat ad granerium occultãt alibi, vel alienant: sanè quia præfata sancta Mater Cæsaraugustana Ecclesia, non solum in præfatis quartis multa incommoda passa est, sed etiam tollerauit opprobria temporibus retro actis propter inobediẽtiam Clericorum, qui licet pluries requisiti, vt domos construerent, vel emerent iuxta Ecclesiam, in quibus inhabitare possent, & congruam hospitalitatem tenere, ac declinare conuenienter nos ad easdem possemus, & fructus tàm decimarum, quàm quartarum possent colligi, & saluari, & super hoc constitutiones emanauerint à quibusdã

quondam Cæsaraugustanis Episcopis antequam eadem esset in Metropolim sublimata, non tamen peruenerunt hatenus ad effectum: Nos volentes emendare præterita, & aduersus futura cauere districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pęna excommunicationis, dicimus, & mandamus quatenus in Ecclesijs non habentibus domus proprias, emant, vel Abbatias cōstruant propè illas vsq; ad tēpus Synodi proximè celebrandæ, alioquin extunc prouidebimus de remedio opportuno, sicq; pęna Iudice cognoscetur, quātum inobedientes deliquerint in præmissis; cuius constitutionis thenor satis demonstrat, aut saltim probabiliter suadet: quartam Decimarum absq; omni detractione ad Archiepiscopos spectare; secūda deinde sub eodem titulo de Decimis, folio trigesimo sexto: Reperitur constitutio quam in prima Synodo statuit Archipræsul Lupus, de anno millesimo tercentesimo quinquagesimo secūdo, incipit: verum, cuius supra meminimus, in quā deprehenditur pro expensis Collectæ tres tantum vndenæ partes designatas fuisse: quartam vero dictæ vndenæ Custodibus, seu Clauigeris vbi altera prouisio certa dari non erat solita: Vltimo edita est cōstitutio ad tollēda grauamina, per Alphonsum Archiepiscopum in quinta Synodo, anno millesimo quingentesimo decimo quinto, sub titulo; de officio Quartarij, folio nonagesimo secundo. Ex quibus Constitutionibus inuicem collatis, hæc inferuntur ni fallimur quartā Decimarum de anno millesimo tercētesimo vigesimo octauo, integrā ante omnē detractionē ad Archiepiscopos spectasse, & sub anno millesimo tercentesimo quinquagesimo secundo, vbi certa portio Custodibus, & Clauigeris non erat taxata: designatam fuisse illis quartam vndenæ, & reliquas illius tres partes collectori, & deniq; anno millesimo quingentesimo decimo quinto, custodum, seu Clauigerorum pęnæ vsu, & memoria sublatis portionem, quæ illis competebat collectoribus applicatam fuisse: vnde per id tempus, quo decimarum quartam ante omnem detractionem percipie-

baut

bant Archiepiſcopi: nihil de vndena ad eos ſpectabat, ſed interuerſo decimandi ordine, & ex vniuerſo aceruo, vndena ante quartam Archiepiſcopalem detracta incœpit forte vndenæ quarta, quæ cuſtodibus, ſeu Clauigeris ab Archiepiſcopo deputatis tribuebatur, ad Archiepiſcopum pertinere, ſic enim Rectores, & hi, ad quos decimarum ſpectabat collectio, liberati fuerunt à victu, moleſtis, & grauaminibus cuſtodum, ſine vllo damno manentibus penes eos tribus vndenæ partibus pro collecta taxatis; Archiepiſcopi verò quartam capiunt, vel quaſi in locum cuſtodum, quos deputare omiſſerunt ſubrogati: vel quaſi Archiepiſcopi, vt integrum quartum decimarum conſequantur, perinde ac ſi à principio antè omnem detractionem illis tribueretur, verum cum Archiepiſcopalis dignitatis intuitu fructus admodum Reuerendo Archiepiſcopo nunc agenti competant, placet ex his, qui liteduran te, decurſi ſunt, & decurrent eam tantùm portionem illi tribui, quæ correſpondeat tempori, quo Archiepiſcopatum adeptus durabit in eo, vſq; ad actualem eorum perceptionem, & aliàs attent. content.